

DEDICATORIA

dicitur) ædificandos curasti: qui non solum in concluso mari nauigare possint, sed in uastissimo atq; aper-  
tissimo Oceano tempestatibus imperent, usque adeo  
apti sunt (ut Catulli dictum usurpem) siue palmulis  
opus sit uolare, siue linteo. Iam uerò triremes Massi-  
liæ plures unus tu maiorum tuorum naualibus adie-  
cisti, quàm eorum (pace beatissimorum dixerim) quis-  
quam unquam optauerit. Principes enim mediterræ-  
nei nescio quo pacto rem nauticam (quod ad mare in-  
ternum attinet) neglexerant, ad Oceanumq; Britan-  
niæ animum solum intenderant. Quocirca nos qui  
nullo nostro merito, sed aliquo literarum nomine com-  
mendati, à tua uerè regia liberalitate & sacerdotio au-  
cti, & magistratu ornati sumus, ne ingrati iure habeamur,  
quæ Venetijs quum essem, à loci celebritate ad-  
monitus, è Græcorum Latinorumq; monumentis na-  
uigia collegi, tuæ maiestati mihi omnibusq; sacrosan-  
ctæ dicare constitui Rex regum potentissime. Putaui  
etiam non solum negotij, sed etiam ocij, quo illic plu-  
rimo mihi per tuam indulgentiam frui licuit, reddend-  
am tibi rationem. Et sanè quod mihi à negocijs pu-  
blicis superfuit temporis, id omne in euoluendis utri-  
usq; linguæ authoribus consumpsi. Quod ipsum ita  
esse facile iudicet, qui hæc nostra legere non grauabi-  
tur. Illud unum, quod illis legendis non sine admira-  
tione animaduerti, in præsentia tuæ dignitati confide-  

a 3            randum